Fra Det Kgl. Biblioteks tekstportal (tekster.kb.dk)

Forfatter: Bording, Anders

Titel: Udrag fra MOenius cautum vates commendat Ulyssem

Citation: Bording, Anders: ”Digte. - 1984”, i Bording, Anders: *Digte. - 1984*, udg. af ERIK SØNDERHOLM , Det Danske Sprog- og Litteraturselskab, 1984-86, s. 212. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-bording01val-shoot-idm140114464616448/facsimile.pdf (tilgået 23. april 2024)

Anvendt udgave: Digte. - 1984

Et totidem repetens annis sua tecta paterna,
Multorumque videns mores, terrasque remotas,
Aspera sustinuit permulta soloque saloque,
Et tandem dulces patriæ, perve[n]it ad oras.
Splendida clarorum O vos fama decusque virorum:
Carmine quis digno celebret præconia vestra?
Neritius bello paucos dux perdidit annos,
At P[h]œbi à teneris estis vos castra secuti:
Ille quidem procul à patriâ quam plurima vidit,
Attamen invitus, terras sed vos peregrinas
Lustrando sponte, & mores linguasque notastis:
Illum sola Ithaca & Patrij juvere penates,
Sed quævis vos terra juvat, nam quælibet artem
Excipiunt terræ; vobis quin gratuler ergo?

JOHANNES MEIERUS,
ἀναγραμμ:
EN MUSIS INHÆREO.

AUsonias *MEIERE tua dum mente manuque*
EXCOLIS assiduê MUSAS, *tibi* Pitho *lepores*
Suggerit, ut doctum properes æquare Maronem,
Et lepidum gelidus vatem quem Sulmo ministrat:
Unde tibi merito transmissa est laurea *dudum.*
Sed tuus & Sophicis animus studiosus INHÆRET,
CARMINIS *iccirco dixit qui te ante* MAGISTRUM,
Nunc etiam SOPHIÆ *vocet: atque ego* gratulor *addam.*

ANDREAS LAVGONIUS,
ἀναγραμμ:
AGE, SIN DONA, LAVRVS.

MArtia *gens validum nunquam ferretur in hostem,*
SPLENDIDA *victori pareret ni* MUNERA *palma.*
Æquoris undisoni sulcant qui cærula, DULCE
Quo carpant LVCRVM, *reputant & dulce periclum.*
Quin AGE LAUGONI, *virtus tua* DONA *meretur,*
Scilicet in Phœbi fortis pugnare palæstra
Qui pergis, celerique secas rate vasta sophorum
Æquora: sit Frondosa *tibi pro* MUNERE LAURUS.